

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,  
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro Dei amore ad Deiparam Virginem Mariam, precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

tatio à me nunquam recedens, cor meum amore scindens, & intima anima pene-  
trans, Amen.

*Aspiratio sequens crebrius per diem, pro diuina charitate obtinenda, est repetenda.*

**D**ulcis Iesu Deus meus, absorbeat me quæso ignita & melliflua vis amoris  
tui, quæ penetret cor meum, purget & rapiat in te omnia interiora mea, ut  
sicut flamma ardens, aut ferrum candens, tui amore semper ardeam, totus à  
meipso deficiam, te verò solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam, te sen-  
tiam, tibiq; soli inseparabiliter inhæream, Amen.

*Pro Dei amore, ad Dei param Virginem Mariam, precatio.*

**O** Puella speciosissima, moribus & virtute laetitonia quam maximè decorata,  
ð virtutibus vernantibus odorifera, ac cunctis gratijs donisq; cœlestibus re-  
pleta, vtinam tui me amore vulneres, & tui suauissima dilectio ita cordis  
mei penetratia sanciet, vt omnia mundi præsentis gaudia in nauseam mihi vertan-  
tur. O virgo ex regia stirpe orta, atq; in Dei matrem ante mundi constitutionem e-  
lecta, mei pauperis noli quæso despicere preces: sed quem tantum tui desiderium  
capit, vt putet sibi bene esse sine te non posse, in tuam recipe gratiam, pliūq; tu-  
um illi ostende vultum, ex cuius consideratione omnes desolati & molesti reficien-  
tur. O gloriofissima atque misericordissima domina mea, vtinam in filium tuum  
me adoptes, & exuberantissimam misericordiam tuam super me effandas, ab om-  
nibusq; malis presentibus & futuris me protegas, suauissimo tuo cordi me costrin-  
gas, & quicquid tibi in me displiceret procul repellas, quo sic tuam voluntatem ad-  
impleam, & quæ obedientis sunt filii, incessanter perficiam, Amen.

*Pro sanctificatione animæ & corporis ad beatissimam Virginem Mariam, precatio.*

**O** Virgo gloriofissima & omni laude dignissima, mater Iesu Christi charissi-  
ma, per omnia quæ beatissima Trinitas in te & sanctissimis membris tuis ope-  
rata est magnalia, & per ineffabile illud gaudium quod in conceptu & partu  
filij Dei sensisti, dignare de singulis membris tuis, dulcedine redundantibus, tanta  
efficacia in me stillare gratiam tuam, vt perfundatur totum corpus & anima mea,  
sanctificanturq; omnia membra mea, ita vt de cætero nunquam moueantur ad pra-  
ua opera, sed feruant amori tuo cum latitia, & per amorem vivificantur, regan-  
tur, roborentur, perficiantur vñque ad exicationem medullarum omnium oisium  
meorum, Amen.

*Pro cordis commutatione & perfectione ad B. Virginem Mariam, precatio.*

**D**ulcissima Domina mea, facias quæso mecum fælicissimum cambium. Au-  
fer à me cor meum pessimum, & fac cum illo sicut volueris, & da mihi pro-  
illo cor tuum virginatum sanctum, perfectum, omni gratia & virtute plenū,  
& in æternum benedictum; aut saltem dilectissima domina, da mihi cor aliud no-  
num secundum cor tuum, humile scilicet, mansuetum, pacificum, castum, mundū,  
quietum, & charitate Dei & proximi repletum, quod mundum & omnia, quæ in  
mundo sunt veraciter contemnat, in tribulatione humiliter gaudeat, si contemptum  
diligat, Dei honorem sitiat, necessitatibusq; proximorum compati sciatis.  
Amen.

*Pro amore Dei & proximi ad B. Virginem Mariam, precatio.*

Amabi-

